


triangulum AEI datorum laterum, & propterea datorum angulorum per demonstrata superius, cui similis est & æqualis BEI . Erunt igitur ADC , & AGC , circumferentiæ datæ in partibus, quibus circumcurrens circulus est $CCCLX$. Porro Archimedes Syracusanus in dimensionibus circuli prodi dit circumcurrentem ad diametrum minorem admittere rationem, quam triplã sesquiseptimam, maiorem uero quàm triplam superpartientem septuagesimas primas decẽ. Inter has mediam assumit Ptol. ut trium scrup. prima $VIII$. secũda XXX . ad unum. Qua ratiõẽ etiam AGC , & ADC circumferentiæ, patebunt in eisdem partibus, quarũ erant illorum diametri siue AE & AI , & cõtenta sub ipsis EA , AD , & sub IA , AG æqualia sectoribus AEC , & AIC alterum alteri. Sed & triangulorum Isosceli um AEC , & AIC , datur basis communis AK , & perpendiculares EK , KI . Quod igitur sub ipsis AK , KG datur, & est continentia trianguli AEC , similiter quod sub AK , KI , trianguli AIC planum. Cum igitur utraq; triangula, ab utrisq; suis sectoribus dirempta fuerint, remanebunt segmenta circulorum AFC , & ACD , quibus constat tota $ADCG$ quæsita. Quin etiam totum circuli planum, quod sub BE , & BAD continetur in eclipsi Solis, siue quod sub FI , & FAG in lunari eclipsi datur. Quot igitur unciarum fuerit ipsum $ADCG$, deficiens à toto circulo siue Solis siue Lunæ fiet manifestum. Hæc de Luna modo sufficiant, quæ apud alios sunt latius pertractata, festinamus enim ad reliquorum quinq; siderum reuolutiones, quæ in sequentibus dicentur.



Finis libri quarti reuolutionum.

L

Nicolai